

St. och Pl. och



1. Gerhard / Joh. Ern. / Diff. de Umbra,
tione virtutis Actipini, ex Luc.
1. vers 35. Jene 1688.
2. Gejer / Mart. / Diff. Biza, nempe
prot Evangelium Genes. III. v. 15.
ut et Messie mors, Sepultura
ac Resurrectio. Jes. LIII. v. 3 = 10
Lipfiae 1645.
3. ——— Diff. Superstitione,
Lipfiae, 1660.
4. Gerhard / Joh. Con. / Diff. de
Umbra tione virtutis Actipini,
Jene 1665.

כ"ש
DISSERTATIO ACADEMICA,
QVA

31
32
**SAPIENTIAM ADAMI
IN AGVRE AMISSAM
ET RESTITVTAM**

occasione loci

Prov. XXX, 2. 3.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

D O M I N O

GVILIELMO HENRICO.

DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIOVA,

BENEVOLO SVPERIORVM CONSENSV
P R A E S I D E

M. CAROLO LVDOVICO *Boheisel*

Gedan,

TVEBITVR

CHRISTIAN. GÜNTHER. BREHME, Northuf.

S. S. Theol. Stud.

Ad. d. APRIL. MDCC XVI.

J E N Æ
TTPIS KREBSIANIS.

16

ADAM
MARIAM
MARIAM

1707 XX 23

HENRICO
HENRICO

MARIAM
MARIAM

ADAM
ADAM

ADAM





CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I.

- I**ntroductio scopi rationem & locum ipsum ex Prov. XXX. 2, 3. sistit.
- §. 2. Subjectum horum verborum loquens considerationi subicitur.
- §. 3. Significatio particulae: כִּי eruitur.
- §. 4. Vocab. בער אנכי explicantur.
- §. 5. Variæ circa vocem מאיש opiniones adducuntur.
- §. 6. Dubia, quae illas premunt, indicantur.
- §. 7. Nostra conjectura proponitur.
- §. 8. Quid vocab. בינה involvat, disquiritur.
- §. 9. ארע non appellative; sed proprie accipiendum esse, monstratur.
- §. 10. Verba: ולא למרתי חכמה explanantur.
- §. 11. Quid sit רעה קרשים edisseritur.
- §. 12. Genuina praefixi ante רעה significatio evolvitur.
- §. 13. De voce ארע agitur.
- §. 14. In Synopsi haec dicta exhibentur.
- §. 15. Finis dissertationi imponitur.



בעה

§. I.

Nomina propria ab appellativis & haec vice versa ab illis, interpretibus probe esse discernenda, nisi nubem pro Junone amplecti velint, nemo facile inficias ibit a) Eo majori vero in illis vocabulis rite explicandis, cautione atque diligentia opus est, quæ pro substrata materia nunc nominis proprii, nunc appellativi vices sustinere solent, quo frequentius hic magni nominis Interpretes hallucinari observabis. Inter plura alia exempla, quæ impraesentiarum silentio transimus, unicum vocabulum ארם fidem asserto nostro facere poterit. Hoc enim interdum proprio acceptum, ubi tamen appellativa gaudet significatione v. g. Jos. XIV. 15. הארם הנגור בענקים הוה Quae verba hoc modo exprimens VULGATUS: *Adamus maximus inter Anakas ibi situs est*, largam disseminandorum errorum segetem sequacibus suis suppeditavit b) Alibi vero e contrario idem vocabulum in sensu appellativo Commentatores acceperunt, ubi nominis proprii vim sustinet, atque secundum intentionem Spiritus S. ad primum humani generis Parentem referendum erat. Huc spectant haud pauca ex illis locis, ubi mentio בני ארם injicitur. Quae si de filiis Adami acceperis, insignem saepius observabis emphasin, quam illi, qui catervam Interpretum secuti

a) Vid. BARTH MATERVS *Philol.* S. P. II. p. 361 sq. B. noſter S A L O M O GLASSIVS *Philol.* f. L. IV. Tr. VII. Obf. 6. & B. AVGVSTVS PFEIFFERV Theſaur. Hermen. Can. LI. p. 322.

b) Conf. IOH. HENR. HOTTINGERVS *Diſſert. de Cippiſ Ebr.* p. 29. ſq. & B. PFEIFFERV *Dub. Vexat.* in h. l.

secuti reddunt, filios hominum (Menschen , Kinder) penitus negligunt. Nec immerito ad classẽ hanc revocabis locum Job. XXXI. 33. : אֵם כִּסִּית כְּאֵדָם וְשָׁעִי Quae verba longe elegantiorẽ prae se ferunt sensum; si cum CHALDAEO PARAPHRASTE, BELGIS atque ANGLIS transferantur: *An texti sicut Adam defectiones meas?* Vid. Gen. III. 7. 8. & 12. quam si cum SYRO & ARABE, VULGATO, B. LUTHERO, TREMELIO aliisque reddas: *an texti more humano defectiones meas?* c) Et eadem fata expertus est locus Prov. XXX. 2. & 3. existans, ejus sensum genuinum paucissimi ex Interpretibus affecti sunt, quoniam in hac praeconcepta versati fuerunt opinione, vocem אָדָם appellative accipiendam esse, cum tamen nominis proprii vicem sustineat. Nos oraculo huic, cui ingentem diversae Interpretum commentationis obscuritatem conciliarunt, aliquantulum lucis לְעֵר i. e. *pro paupertate ingenii nostri* affundere constituimus. Hoc autem ut felici fiat successu, δὲ πρὸς τὸν πατέρα τῶν Φύλων, πρὸς ὃν οὐκ ἔστιν παραλλαγή, ἢ τρεπῆς διαφορίας, necessariam Spiritus S. gratiam submitte expetimus.

Verba meditationi hac vice subjienda ex Prov XXX. 2. & 3. hausta ita fluunt.

Verf. 2. כִּי בָעַר אֲנֹכִי מֵאִישׁ וְלֹא־בִינָתָ אָדָם לִי

Verf. 3. וְלֹא־לְמִדְתִּי חֲכָמָה וְרַעַת קְרֹשִׁים אֲדַע:

Versiones Orientis juxta & potiores Occidentis integras adponere nolumus, siquidem hypothetis saltem hoc labore taediofo graves, Lectori vero nobisque ipsis isthac recensione haud adeo proficui foremus. Unde unum tantum alterumve vocabulum ex iis in usum nostrum excerptum, sicubi e re fuerit, deinceps in subsidium vocaturi sumus.

c) Ad stipulantem nobis habemus, magni, cum viveret, nominis apud Rostochienses Theologum, ZACHARIAM GRAPIVM, Praeceptorem quondam nostrum etiam post fata venerandum, in *Theologia recens controversa continuata* 4. V. quaest. V. §. 2. p. 135.

Antequam ad verba ipsa penitius expendenda progrediamur, operae pretium erit, *Personam*, quae h. l. loquens introducitur, brevi subicere considerationi. Quenam vero illa sit, in verbis quidem adductis non indicatur; sed ex ipso contextu eruendum est. Si ergo ad versum primum retrogrediamur, verba haec profluxisse videmus אָנּוּר בְּן יִקָּה VULGATUS nomina אָנּוּר & יִקָּה appellative accipiens reddidit: Congregantis filii vomentis. Unde non tantum Pontificii, sed etiam alii ex commentatoribus Christianis nomen אָנּוּר Salomoni d) tribuunt, per congregantem filium vomentis eundem illum intelligendum esse existimantes, qui alibi se titulo קוֹרֵהּ insignivit. Quare autem Rex sapientum & sapientissimus Regum Salomo vocetur אָנּוּר בְּן יִקָּה, de eo miros dubitationum fluctus apud Interpretes observabis, in quarum diversis placitis recensendis si prolixè occuparer, frustraneos, nisi augurium animi me plane fallit, susciperem labores. e) Verum enim vero non operose jam urgebo, partim אָנּוּר, quod formam Participii Paul habet, perperam a *Vulgato* translatum esse: *Congregantis*, cum, si appellativum foret, significatione *congregati* gauderet. (Quem vulgati errorem ipse CAJETANUS apud CORNELIVM a LAPIDE diffiteri haud quaquam potuit, Salomonem vocari collectum, quod mentem viresque & sensus omnes colligeret & in Deum sevocaret, arbitratus) partim pariter אָנּוּר a radice אָנּוּר *vomui* non satis commode derivari, cum potius originem suam trahere videatur, a יִקָּה unde יִקָּה *obedientis*. Potius considerari *velim* nomina haec Patris & filii accurate expressa non nisi contortè appellative accipi posse. Neque enim ulla adparet ratio,

cur

- d) Consentientes habent ex Rabbinijs *Raschium* & R. *Levi ben Gerson*, aliosque.
 e) Interim consuli poterat CORNELIVS a LAPIDE, qui ad *nauseam ferè* in exponendis varijs circa h. l. sententijs prolixus est.

cur hic tantummodo in verbis adeo paucis mutare voluerit Salomon & suum & parentis sui nomen. Aliam sane rationem esse hujus loci, & aliam *קורלה*, cui ipse immediate subjungit *בן דוד* Eccles. I. 1. quilibet facili animadvertet negotio. Accedit, ipsam petitionem Vers. 8. *אשר ועשר לי חן לא* *paupertatem aut divitias ne des mibi* non commode satis Salomoni, divitiis omnes sui temporis Monarchas superanti I. Reg. X. 23. adscribi posse. Vnde potius cum CHALDAEO & SYRO, B. LUTHERO, GEIERO f) aliisque *אגור* & *יקה* non appellative; sed proprie & personaliter explicarem. Equidem quis Agur & quis Jake fuerint, nemo nunc distincte exponet. Sufficit, Agurum fuisse Virum, *Θεοπνευστον*, cujus sententias ob singulare pretium vel Salomon ipse, vel collectores ejus ad hoc corpus retulerunt, cum de authentica harum omnium autoritate sufficienter Ecclesiae constaret. Caeterum vero similis omnino est sententia ABEN ESRAE scribentis *אגור חזק ביושרו שלמה חולך ביושרו יודע רעה ונכבד בדורו על כן המלך שלמה חסד רכרו חכמתו בספרו* *Agur Coaevus Salomonis fuit vir integer, sapiens & gravis. Propterea Rex Salomo collegit effata ejus sapientissima in libro suo, Cui etiam calculum suum GROTIUS & B. GEIERUS addiderunt.*

§. III.

Considerato subjecto loquente *ו* ab initio versus secundi positum explicandum erit. Quam quidem particulam nequaquam profus abundare, cum Vulgato g) existimarem

f) *Comment.* in h. l.g) Qui reddidit: stultissimus sum Virorum &c. Neque hoc Vulgati sui *אגור* sufficienter excusat CORN. A LAPIDE, quando inquit: *Nepes omisit ו* quia, quia Ebraeorum *Ki* saepe per *Pionam* redundat, *tunc* *sumque* *dat* *initium* *sermoni*. Probare vero debuisset Jesuita diligentius inductione locorum S. S. ubi *ו* abundet. Quod cum non fecerit, veniam dabit, si dictata ipsius omni ratione delictata in dubium vocentur.

marem. Neque enim Spiritus s. in Scriptura s. norma fidei nostra & morum accuratissima vel literam frustra & otiose posuisse censendus est. Ut taceam, ex ingenii nostri paupertate de divitiis linguae S. non esse judicandum. Neque vero כּי causale h. l. esse potest, prouti à CHALDAEO & STRO h) B. LVTHERO i) TREMELLIO l) aliisque exprimitur. Nihil enim praecessit, cujus causa nunc dari queat. Quam ob rem B. GEIERVS l. c. existimat כּי h. l. asseverativum esse & *utique, sane, profecto* denotare, pro qua significatione Vir Beatus PF. LXXXIX 3. X. 14. Job. VIII 6. I. Par. XXIX 14. allegat. Quae sententia omnino prioribus multis nominibus praeferenda est. Si tamen symbolam nostram qualemcunque hic conferre licet, pro concessiva: Quamvis acciperemus. In quo sensu occurrit Gen. VIII. 21. XLVIII. 14. Exod. V. 11. XIII. 17. Jos. XVII. 10. Pf. XLI. 5. Plura exempla CHRISTIANVS NOLDIVS m) dabit, quae huc transcribere brevitatibus causa haud immerito supersedeo. Haec vero significatio propterea potissimum h. l. convenientissima erit, quoniam AGVR ab ITHIELE & UCHALE, ad quos sermonem suum dirigit n) de rebus Divinis gravissimis atque arduis interrogatus, (quae est conjectura Judaei, qui hac in parte acutius, quam gregales sui cernere videtur, ABEN-ESRAE o) haud fusque deque

h) Qui habent: מטור

i) Substituente: Denn

l) Habente: Nam.

m) Concord. Part. Ebr. p. 399.

n) Illorum enim sententiam, qui cum *Theologis* VINARIENSIBVS a B. ABRAHAMO CALOVIO *Bibl. Iduß.* איתיהאל & אוכל de Christo accipiunt, reddentes de ITHIEL i. e. de eo qui est mecum Deus & de VCHAL i. e. omnipotente, piam quidem conjecturam, in textu tamen nullo fundatam esse, judicamus.

o) נתכן ששאלוהו דברי חכמות אלהיות איתיהאל ואוכל *convenit* (dicere) quod interrogaverint eum de rebus Sapientiam Divinam concernentibus Ithiel & Uchal.

* (9) *

deque habenda,) statim initio sui sermonis opinionem sapientiae in Adamo quondam conspicuae a semet amoliri: e contrario naturalem suam in rebus spiritualibus coëcitantem ingenue profiteri non erubescit. Hinc addit

§. IV.

כַּעַר אֲנָכִי Vocabulum כַּעַר originem suam ducit a radice כַּעַר *arsit, exarsit, ardore percitus fuit, it. obbruit.* GUSSETIO p) radix כַּעַר natales suos debere videtur כַּעַר עָרָר, quod *evacuari & desolari* significat. Id enim *facere ignem per incendia, cui affinis est brutalitas pecorum, quidquid obvium est, neut eximium, vorantium, deperdentium vastantiumque.* Forte tamen, uti Vir clarissimus addit, *originatio ista fuerit inchoanda ab altera parte, ita ut primo loco statueretur significatio brutalitatis, quasi ab עָרָר (quod asellum denotat) propagata fuisset haec radix, deindeque veniret illa incendii, eo quod homines conspecta brutalitate pecorum ignem spectatum, ut ad incendia semper adspirat, cum iis comparaverint, & idem verbum de igne usurpaverint.* Verum enim vero quis non animadvertit, haec omnia e longinquo esse petita? Quare convenientius forsitan erit, si dicamus: e famosiori illa significatione *ardendi, comburendi & accendendi* radicem hanc translata esse ad bruta, quae nomine כַּעַר in sacrarum literarum pandectis veniunt. Vid. Exod. XXII. 5. Ps. LXXVIII. 48, quia coeco impetu facile exardescunt. Hinc כַּעַר hominem belluinam indolem gerentem moresque brutorum referentem designat, qui a stulto non differt, cum quo copulatur Ps. XLIX, 11. qui sapientia coelesti & spirituali destituitur Ps. LXXIV, 12. qui opera Dei non attendit Ps. XCII, 7.

p) Comment. de lingua Ebr. p. 130.

XCII, 7. adeoque illi, qui diligit scientiam, e diametro opponitur Prov. XII, 1. In TARGVM pro בער h. l. est בורה quod nulli a בער exclusa per syncopen gutturali ע deducunt, quasi contractum sit à בעור. Alii vero à בור, quod Chaldaeis *desolari, sylvestre, incultum* esse significat, quia quos o sapientia destitutus & moribus civilibus carens vocat בור, eo quod similis sit agro sylvestri sterili. q) Quicquid vero sit de etymologia & origine vocis בורה, quoad usum um & sensum egregie convenit cum Ebraeorum בער, si quidem teste Maimonide ר) בור הוה שאין מורה וליה מורה i. e. *Bur est, cui neque sapientia, neque mores sunt.* Quando vero talem se profitetur AGVR, בער אנכי inquires, notandum, quod non loquatur se, quatenus erat gratia Spiritus s. regeneratus; (Tantum enim abest, ut Agur in statu regenerationis se בער appelleret, ut potius illo respectu רעת קרשים sibi tribuat in versu 3tio) sed quatenus fuerat in statu naturae ante regenerationis gratiam considerandus. Unde haec verba non in statu; sed in amputatione accipienda. Quo etiam digito intenderunt Belgae in versione sua. s) Neque vero positive saltem se בער stupidum vocat; sed & comparative addit

§. V.

שׁוֹמֵן Equidem THOMAS CARTVVRIGTHVS t) nullam in vocabulo שׁוֹמֵן comparationem admittit, reddens: *Omnino brutus sum, ex quo sum Vir.* Quibus verbis putat Agurem naturae corruptionem & coecitatem in rebus Divinis ex ipso statim vitae initio asferere. Attamen, si dicendum


q) Vid. BVXTORFIVS *Lexic. Chald. Talmud. Rabbin.* p. 276.

r) apud BVXTORFIVM l. c.

s) Ita exprimentes h. l. *Door war icf onvernüftiger*

t) in Comment. in h. l.

* (II) *

cendum quod res postulat, hac ratione potius מנעורי u)
vel סכסך x) stylo scripturae alias usitato dicendum fuisset,
siquidem מנעורי in hac, quam intendit doctissimus CART-
VVRIGTHVS significatione nunquam in sacro codice repe-
ritur. Unde alii commentatores unanimi fere consensu ע
h. l. reddunt praec. Qua significatione frequenter in ס. codi-
ce ע praefixum gaudet Vid. Deut. XIV, 12. Jud. II, 17. Eccle-
VII, 1. z. Sam. I, 23. Jer. XV, 8. Thren. IV, 7. Pf. VIII, 6. y) Hunc
significatum etiam procul omni dubio in animo habuit STR-
RUS, licet sensum magis quam verba exprimere allabo-
raverit 

Quandoquidem deficit mens mea. Neque aliter sensit
Chaldaeus Paraphraustes, loco מנעורי habens: מנעורי נש
quibus vocabulis etiam expressit מנעורי in hemistichio
posteriori. Unde inter מנעורי atque מנעורי nullam agnovit
differentiam, utrobique Agurem sibi sapientiam aliorum
hominum denegasse, arbitratus, cujus vestigia haud pauci
ex commentatoribus legunt. Alii tamen in contrariam
pronunciant sententiam, cum B. GEIERO existimantes, voca-
bulum מנעורי respicere Magnates; מנעורי vero plebejos, que-
madmodum alibi passim מנעורי atque מנעורי in hunc mo-
dum sibi contradistinguuntur. z) Juxta horum opinionem
AGUR omnem a se remove vult, quae alias sive Viris mag-
nibus, sive humiliori מנעורי competit, eruditionem & doctri-
nam. Si vero quaeras, quo sensu Agur se stupidiorum partes
scindi Interpretes, animadvertes. Primo quidem nonnul-
li Rabbistorum apud LTRANVM, QVOS PINEDA & alii sequun-
tur

B z

u) Vid. Gen. VIII, 1. Jer. III, 24.

x) Conf. Pf. LVIII, 4. Ef. XLIV, 2. 24. XLVIII 8.

y) Plura loca conspiciuntur, adeas B. GLASSIVM Philol. S. L. IV. Tr. I. Obf. V.
& NOLDIVM Concord. part. Ebr.

z) Vid. Gen. VI, 1. Ef. II, 9. Prov. VIII, 4. Pf. XLIX, 3.

tur existimant, Salomonem dolere hic luxuriam suam atque idololatriam, & se ipsum accusare, quod, cum sapientia summa a Deo praedictus fuisset, tamen se ad tantam insipientiam abjecerit, ut inter concubinas velut sus sese volutans iis placendi studio Deos earum i. e. lapideas & aureas statuas cultu profecutus fuerit religioso. Secundo RASCHI in ea versatur opinione, Salomonem se vocare stolidissimum mortali-um, eo quod fiduciam suam collocasset in sua sapientia, ad- dendo atque detrahendo verbis Moſis Deut. XVII, 16. & 17. dicendoque; multiplicabo uxores, neque tamen recedet animus meus a vero Deo; multiplicabo argentum, nec tamen a sum- mo Numine recedam; multiplicabo equos, neque tamen re- ducam populum hunc in Aegyptum. aa) Tertio AVTOR CA- TENAE GRAECAE bb) verba haec: לְדוֹנִי &c. ita vertit. Nunc finem facio, quia sum mortali-um omnium stolidissimus, neque ulla humana prudentia in me exstat, sicque explicat: In posterum morum doctrinam tradere, ac ad illam vos amplius ex- hortari desistam, quia mortali-um sum stultissimus, hoc est: Deo Divina sapientia me illustrante omnis humanae prudentia jaecturam feci, ac vera sapientia a Deo mihi infusa sustulit ex me omnem falsi nominis scientiam. Quarto CORNELIVS a LAPIDE arbitrat, Salomonem vocare se insipientissimum ex modestiae & humilitatis studio, qua humiliter de se sen- tiens

aa) RASCHIO injuriam facit CORNELIVS a LAPIDE, mentem ipsius pla- ne non affectus, quando existimat: putasse hunc Judaeum: quod Salo- mon se stultum vocet, quia contra praeceptum Dei: Ne addite ad verbum illud, quod ego praecino vobis, neque detrahite de eo, Deut. IV, 2. parabolas has, sive Proverbia sua addiderit, cum tamen verba Raschii quavis ali- um potius quam hunc prae se ferant sensum, uti patet ex illis, quae ad verba לְדוֹנִי אֲנִי מְדוּמָה annotavit, quae LAPIDENSIS non observasse videtur, contentus illorum lectione, quae ad versi-um habet

bb) y. apud LAPIDENSEM in h. l.

sciens ex se ipso talem se agnoscebat, omnem vero sapientiam suam non sibi; sed Deo, a quo illam infusam acceperat, & cujus illa erat, jure adscribebat. Simili sensu, quo Paulus, licet sanctissimus, se vocat primum peccatorum 1. Tim. 1, 15. Quinto B. GERIUS l. c. putat, brutum se vocare Agurem prae aliis hominibus, partim ut ostenderet, qualem se deprehenderet, per ingenii sui naturalem hebetudinem, quae longe major, quam in viris aliis, ita ut in rebus gravioribus indagandis, dijudicandis, comprehendendis non aequet sublimia ingenia, quod sane in Viris Θεοπύδοις, quales Prophetae bubulci, Apostolique piscatores, circa hyperbolicum dicendi genus contingere posuerit, partim ut spiritualem proficeretur animae corruptionem, partim & praecipue quidem, ut qualem se agnoscat in speculatione rerum vers. 5. & 6. exponendarum cc) declararet, nimirum penitus stupidum, intelligentia quoque acquisita tunc penitus desertum, haud aliter, ac si ne unquam didicisset aut tractasset ulla studia: consideratis namque tantis operibus, tantoque opifice opificisque filio, consideratis etiam verbi Divini revelati abyssis, omnes statim evanescent sensus, omnisque nos destituit ratio vel ingenii acumen, usque adeo, ut in tantis contemplationibus infra hominum aliorum sortem abjecti videamur.

§. VI.

Verum enim vero, tres priores sententiae ex hypothefi illa omni fundamento destituta: Quod Salomon subiectum horum verborum loquens fit, unicam suam trahunt

B 3

origi-

cc) Quo etiam digitum intendit RALBAG: כָּנַר אֵיט אֲנִי מֵאִשׁ וְלֹא בִּנְתָת אֱדָם לִי כְּלֵה חַרוּשִׁים חַמְמִים
i. e. stultus ego sum prae Viro, & intelligentia hominis non mihi est in promotionibus mysticis.

originem. Praeterea quod ad primam attinet, & secundam, non apparet, quare Salomon, si poenitentiam suam heic ex instituto insinuaret, publica sua peccata non nominatim retractaret & damnaret, atque hoc modo scandalum, quod populo dederat, non sine majori efficacia publice removeret. Tertia vero sententia ne speciem quidem prae se fert veritatis. Perperam enim *רֹד*: לְדֹנִי redditur *nunc finem facio*, cui versioni, ne de aliis pluribus obstaculis dicam, accentuatio aperte repugnat. Sic enim syllukus in voce: לְדֹנִי staret, לְדֹנִי vero ad sequentem versum referendum fuisset. Accedit, quod non propterea is, qui hic loquens introducitur, proverbis suis colophonem imponere potuisset, quia mortalium erat stolidissimus, siquidem non sapientia humana, sed unice sapientia Divina opus erat, ut illud institutum feliciter perficeretur. Nec quarta sententia, quam LAPIDENSIS suam fecit, ita comparata est, ut plenum, ipsi tribuere queamus assensum. Tantam enim extenuationem sui ipsius modestiae caussa non dicam sine mendacio, dd) saltem sine insignis hyperboles specie vix ac ne vix quidem admittere poteris. Neque prorsus loco nostro *דְּנִי* esse videtur locutio Pauli i. Tim. I, 15., qui gravitatem peccatorum suorum sentiens se primum peccatorum appellabit. Nam si ex una parte tot tantasque persecutiones, quibus Paulus Christianae religionis defensores vexaverit, accuratori iudicii lance expendas, ex altera vero parte horrendos conscientiae morsus & stimulos, qui & in credentibus saepius oriri solent, animo tuo fistas, effatum hoc Paulinum nequaquam hyperboles jure merito infimulabis. Denique nec B. GEIERI opiniones omnem animo meo scrupulum exemerunt. Nam 1) non satis assequor, qua ratione Vir Beatus admittere potuerit, Agurem haec de se enuntiare, ut ostenderet natura-

dd) Quamvis POLANVS *Syntagm.* L. X, c. 39. ex h. l. mendacia modestiae causa suscepta licita esse probare conetur.

turalem ingenii sui hebetudinem, qua longe major in ipso quam in Viris aliis fuerit, quandoquidem paulo ante cum GROTIUS asseruerat, AGVREM *Theognidem* aut *Phocylidem* fui temporis fuisse; suamque non saltem ob pietatem, sed & sapientiam ea aetate in vulgus notum. Quibus concessis, cum Prophetis bubulcis & Apostolis piscatoribus in hoc passu non in eandem classẽ referri meretur, multo minus de se ipso dicere poterat, se & intelligentia hominum plebejorum idiotarumque destitutum esse. Neque 2) AGVR spirituales animae suae corruptionem in indagandis rebus spiritualibus indicaturus citra hyperbolicum dicendi genus omnibus hominibus reliquis stolidiorem se profiteri poterat, quia aequalis in rebus spiritualibus indagandis stupiditas, omnibus post lapsum mortalibus connascitur. Siquidem notandum, quod AGVR hic comparationem non cum Deo, cujus respectu omni sapientia penitus destitutus erat; sed cum aliis hominibus instituat, id quod vocabula adjecta אִשׁוּר & אִשׁוּר לְעוֹלָם luculenter insinuant. Esto autem hyperbolen non esse speciem mendacii. ee) omnem tamen hyperbolen ad improprias locutiones referendam esse, nemo inficias ibit. Quod si itaque hic verborum proprietates retineri queat, frustra ad hyperbolicas locutiones sine urgente necessitate confugimus.

§. VII.

Unde si citra pruritus novaturiendi conjecturam nostram circa locum hunc vexatissimum proponere liceat, existimarem: per אִשׁוּר Virum *κατ' ἐξοχήν* ita dictum, Patrem humani generis Adamum in felicissimo integritatis statu constitutum intelligi, qui vi imaginis Divinae, in qua creatus erat, non saltem perfecta justitia & sanctitate in voluntate; sed & sapientia eximia in intellectu pollebat. Patet id ex Coll. II I, 10, ubi

ee) Conf. B. GLASSIUS *Philol. S. L. V, Tr. I, c. XIX*, & HACKSPANIVS *Miscell. p. 202. seq.*

ubi dicitur: *καὶ ἰδυστάμενοι τὸν ἀνακαινόμενον εἰς εἰρήνην καὶ ἀγαθὰ τὰ κτιστὰ ἐαυτὸν.* Renovatio vero est veteris, quod amissum est, reparatio. Ad quam igitur cognitionem secundum imaginem creatoris nos revonamur, illam habuisse Adamum necesse est. Et quanta Adamus in statu integritatis praeditus fuerit sapientia, ipse sapientissimus Adami Creator ostendit, Gen. III, 22. inquit: *הוּן הָאָדָם הָיָה כְּאֶחָד מֵנוֹרָאֵי הַעֲרֵב*: *Ecce homo iste fuit* (ratione imaginis Divinae.) ff) *sicut unus ex nobis, sciendo bonum & malum.* Adamum autem in statu integritatis etiam alibi in sacrarum literarum pandectis *אִישׁ* Virum absolute salutari, vel unicus ille locus, ut alia taceam, testatur: Gen. II, 23. ubi ipse Adamus haec de Eva verba faciens introducit: *לֹאֲתָ יִקְרָא אִשָּׁה כִּי מֵאִישׁ לִקְחָהּ זָרָה* *Propterea vocabitur Vir* (si ita cum Festo loqui liceat) eo quod haec ex Viro desumpta est. Ista vero concreata intellectus perfectio ad agnoscendum Deum, se ipsum, & creaturas, qua Vir hic primus in statu antelapsum gaudebat, per lapsum non solum in ipso, sed & in omnibus Adami Posteris perditata est. Id quod ex loco Pauli modo allegato Coll. III, 10. sole meridiano clarius elucescit. Nullus enim in posteris Adami locus restitutionis hujus *γνώσεως* esse possit, nisi ea in ipsis esset amissa. Et idem Apostolus alibi disertis verbis fatetur: *πάντες ὑστερνύμεθα τῆς δόξης ἢ ἰσοῦ*. *omnes destituuntur gloria Dei*, Rom. III, 23. ad quam imaginis Divinae gloriam etiam sapientia utpote essentialis ejusdem pars pertinebat. gg) Unde omnino Agur sapientiam Adami sibi tribuere non poterat, immo potius se brutum *שׂוֹמֵר* prae Viro isto Adamo confiteri debebat. Si dicas: *Hac ratione sequeretur, Adamum in integritatis statu non eximia sapientia instructum; sed potius stupidum*

ff) Vid. B. Seb. Schmidius Tr. de imagine Dei P. I, c. V,

gg) Conf. B. SEB, SCHMIDIUS Tr. cit. P. I, c. X,

stupidum fuisse, adeoque Sociniani falsae suae opinionis praesidium in hoc loco invenire. Respondeo: Tantum abest, ut Sociniani praesidium erroneae suae hypotheseos in nostro loco inveniant, ut potius vi hujus dicti juxta nostram mentem expositi, tota illorum sententia infumum abeat. Quis enim ignorat, propositiones comparativas non omnes ita esse comparatas, ut tertium comparationis sive praedicatum in positivo sumtum utriusque subjecto vere competat, cuius generis propositiones comparativas proprias appellant Logici; verum etiam dari propositionum comparativarum genus, ubi tertium comparationis vel praedicatum uni tantum, vel neutri comparatorum vere competat v.g. Castitas laudem meretur prae impudicitia, cujus sensus eo redit: Castitas laudem meretur; non vero impudicitia, quales propositiones comparativae impropriae in Logicorum Scholis salutantur. Cujus commatis posteriores enunciationes nequaquam pro falsis reputandas esse, communis loquendi usus in sacris etiam Autoribus comprobat. Vix enim ovum ovo magis simile esse poterat, quam enunciationi in loco, quem prae manibus habemus, exstanti, sequentes sunt; scilicet Luc. XVIII, 14. *Publicanus justus descendebat domum prae Pharisaeo* i. e. Publicanus justus descendit, non vero Pharisaeus it. i. *Sam. XXIV, 18.* ubi Saul ad Davidem inquit, צדיק ממי *justus es prae mei.* e. tu justus es; non vero ego. Quomodo enim Saul, omnis injustitiae mancipium encomium justis sibi tribuere poterat? In nostro vero loco hanc Aguris propositionem ita necessario accipiendam esse, contextus non saltem suadet, sed postulat. Nam illi viro (quicumque demum sit) cujus respectu Agur בער *stupidus* existit, non denegatur; sed adscribitur בינר *intellectus* in hemistichio subsequente. Quenam vero haec sit, nunc curatius paulo dispiciendum. Ita enim pergit Agur;

§ VIII.

בִּינָה ולא בינת ארם לוי Ub ipartim ipsum vocabulum **בִּינָה**,
 in considerationem meretur. **בִּינָה** originem suam
 habet radici **בִּן**, quod in Hiphil (unde vox **בִּינָה**
 mediate descendit) non perfunctoriam & superficialiam, sed
 exactam fundatamque cognitionem infert, quom.
 reflex peritus est in arte sua Es. XXIX, 16. Ubi
 opponitur **רִמְסֵי** **רַמְסֵי** discipulo Paralip. XXV, 8. Et alibi
 usurpatur de perspicacia Danielis in exponendis
 visibus Dan. I, 17. Caeterum disputant Interpretes
בִּינָה atque **חִכְמוּת** inter se differens, & varias
 sententias hic jam non recensebimus, quae non
 te otia fecit B GEIERS. hh) Clarissimus **בִּינָה** non
 sine verosimilitudine ingenti existimat,
 hunc esse, sed ejus acumen esse **בִּינָה**, quod exercemus,
 cum in res abstrusas penetramus & intima veritatis percipi-
 mus. Quicquid vero sit de differens vocabulorum,
 id saltem extra omnem controversiam aeam jam haecenus
 dicta positum, quod **בִּינָה** exquisitam, accuratam & pla-
 ne singularem involvat cognitionem.

§ IX.

Ex quo manifestum esse videtur, **אָרָם** non com-
 mode de hominibus plebejis, quos fortuna infra aliorum
 fortem detruist, ab Interpretibus haud paucis accipi. Quo-
 modo enim his **אָרָם** atque summus humanae sapientiae
 apex tribui potest? Quid vero obstat, quo minus **אָרָם**
 in sensu proprio & individuali accipiamus cum Anglo do-
 ctissimo THOMA CARTVVRIGHTHO, ii) quamvis hic de priori
 hemistichio longe aliter quam nos, fenserit. Cuiquam
 quae-

hh) Comment. in Prov. I, 2.

ii) Comment. de lingua Ebr. ad voc. **בִּינָה**

ll) Comment. in h. l.

quaeso summa rerum spiritualium cognitio, cuius humanae scientiae apex jure merito tribui potest, nisi Adamo in statu suo ante lapsum felicissimo? sic excellentissima Creatoris sui cognitione gaudebat. (quae vero cum in omnibus Adami posteris post lapsum sit missa, nec in AGURE reperiebatur juxta ea, quae §. 7. observavimus, quae, ne cramben bis coctam apponamus, jam non repetemus. Mentionem autem facit AGUR Adami, non Evae, haud ob eam rationem, quod Eva intelligentia inferior fuerit Adamo, si quidem Scriptura s. utrique Adamo & Evae eandem Dei imaginem adscribit Gen. 1, 26. 27; sed quoniam Adamus sapientiam suam, quae partem imaginis Divinae essentialiter constituerebat, immediate ab ipso Deo acceperat, Eva vero mediante Viro ex cujus costa creata fuit 1. Cor. XI, 7. mm) Sed ex nostra sententia committi ab Agure, cum in posteriori hemistichio ea sic dicantur, quae quoad sensum cum hemistichio priori prorsus coincidunt. Verum enim vero nec ista exceptio tantum trahit momentum, ut nostram de ponte dejicere valeat expositionem. Neque enim haec ad vitiosam tautologiam sunt referenda, sed ad figuram elegantissimam, quae ἐπιξήγησις salutari solet, ubi plura verba idem significantia ad sententiam illustrandam majoremque Emphasin & pondus ipsi conciliandum conjunguntur, quae Spiritus s. etiam in aliis sacrarum literarum locis haud infrequenter usus est. E. g. Ps. XVII, 1. *Exaudi Jehovah justitiam, attende ad clamorem meum, aurem praebe orationi meae* Ps. XVIII, 2. 3. *Jehova firmitas mea, & propugnaculum meum, & liberator meus, Deus fortis meus, rupes mea, ad quam me recipiam, clypeus meus & cornu salutis meae, editus locus meus.* Ps. XXXV, 1. 2. 3. *Contende Jehovah adversus*

contendentes mecum impugna impugnantes me, prebende
scutum aut clypeum ac surge in auxilium meum & exere
bassam & praecludpersequentibus me Prov I, 23. Ad sciendum
sapientiam & eruotionem, ad intelligendum dicta pruden
tiae, ad percipiendam eruditionem intelligentiae &c. nn)

§. X.

Quemadmodum AGVR in versu secundo haecenus ex
plicato ostenderat, se intelligentia Protoplastis vi imaginis
Divinae concreata carere, quemadmodum originale illam
notitiam sibi profus denegaverat, ita jam porro in versu
tertio naturalem suam in mysteriis coelestibus intelligendis
ineptitudinem explanare pergit, atque etiam negat, se eam
naturaliter acquisivisse, addens: **ולא למדתי חכמה:**
Ad quorum verborum sensum eo feliciter investigandum)
quaestio illa decidenda erit: Quid per חכמה h. l. intelli
gatur? utrum sapientia mundana, secularis & terrestri, an
ne vero spiritualis, Divina & coelestis? Priori sententiae
calculus suum addidit B. AVGVSTVS VARENIVS oo) verba,
nostra hac **ωφρροελοει** illustrans: *Namque non didici sapi
entiam secularem, subtraxi me omnibus aliis studis seculari
bus, omnium aliarum rerum cognitioni & profanae scientiae, sive
studio τῆς ψευδορύμου γνώσεως me subtraxi, ut unice vacarem
studio τῆς ἐπιστήμης, seu ut cognitionem sanctorum scirem.*
Licet vero non inficias eamus, vocabulum חכמה de sa
pientia seculari in sacris pandectis nonnunquam usurpari,
prouti v. g. חכמה mechanica Bezaleeli aliisque tribuitur
Exod. XXXI, 3., חכמה politica Aegyptiis i. Reg. IV, 30.
vindictur; nihilo secius vox haec frequentius inf. codice
fapi-

nn) Plura exempla dabit B. GLASSIVS Philol. S. L. V, Tr. II, c. VIII.

oo) Comment. in Etiam c. XXI, II, ubi **οὐ ἐπὶ μαθηδῶν** ad hunc locum delat
bitur.

sapientiam coelestem & spirituales exprimit, quae significatio Spiritui S. in Proverbiis imprimis familiaris est. Unde tutissimum, ut arbitror, erit, si & h. l. וְהָיָה הַכֶּמֶת de sacra & spirituali sapientia, quae est vera Dei, sui ipsius, ut & mediolorum aeternam beatitudinem consequendi cognitio, accipiamus. Verum enim vero 2) qua veritatis specie negare poterat AGVR, se non didicisse sapientiam supernaturalem, spirituales atque coelestem, cum tamen elegantissimum ejusdem specimen praebeat in versu subsequente? GEIERVS, quo pedem tuto hac in causa figat, vix invenit. *Negat, inquit, praevium discendi studium, sive quod a teneris ut alii Prophetarum filii gavisi sit tali beatitudine, sive quod totum illud didicisse vel universus ille labor nihil plane sit, si conferatur ad indagacionem rerum tam arduarum ac supernaturalium, q. d. si devenio ad sublimiora Dei mysteria, est ac si nunquam instructus fuisset, mentisve meae aciem impendissimam ad cognoscendum.* Quod vero ad priorem GEIERI opinionem attinet, Viro Beato propria ipsius verba, quae paulo ante in medium adduxerat, regerere nobis liceat. *Probabile vix videtur, idiotam adeo indoctum fuisse hunc Virum, cui in promptu fuerunt Prophetarum scholae.* Quamobrem etiam ipse B. Theologus sententiae huic non adeo multum tribuisset videtur, quoniam statim alteram addidit, qua tamen vix ac ne vix quidem AGVRI satisfactum. Neque enim AGVR his verbis sapientiam spirituales sibi denegat, id quod tam ex hemistichio hujus versus posteriori, cujus sensum genuinum paucissimi commentatorum adsecuti sunt; quam ex versu 4to (de quo paulo post uberius dicendi erit occasio) elucescit. Quae cum ita sint, potius cum aliis pp) hujus nodi solutionem quaerere in informante.

C 3

Non

pp) Praevium habemus in hac nostra opinione BATNYM apud MATTH. POLVM *Synops. Critic. Vol. II, p. 1657, edit. Francof. 1678*

Non didici a me ipso, studio humano, opera naturali sapientiam coelestem atque spiritualem, quasi diceret: Amissa per lapsum Protoplastorum sapientia Divina concreata, intellectus meus spissa obductus est caligine, ita ut nihil prorsus virium spiritualium in me naturaliter supersit, quarum ope sapientiam Divinam & salutarem addiscere possem. Nam ψυχικὸν ἀνθρώπου (homo naturalis, homo sibi relictus, naturalibus viribus utens) ἔδραται τὰ τῶν πνεύματος ἁγίου, μωρία γὰρ αὐτῶν ἐστὶ, καὶ ἔδυναται γινώσκειν. 1. Cor. II, 14.

§. XI.

Quamvis vero viribus naturalibus non didicerit, nec addiscere potuerit ^{AGVR} sapientiam, attamen per Spiritus sancti gratiam eandem se acquisivisse, indicat in posteriori hujus versus hemistichio, quando addit: קרשים ורעת ארע. Circa quae verba tria potissimum momenta considerationem merentur 1) quid sit רשת רשים? 2.) quam significationem praefixum ו ante רעת h.l. obtineat? & denique 3) quem sensum vocabulum ארע inferat? Vox קרשים non una ab omnibus ratione accipitur. A quibusdam Commentatoribus accipitur subjective, ex quorum mente scientia sanctorum est illa sapientia, quae in hominibus regnatis, quos per קרשים insinuari existimant, reperitur, ab aliis vero objective, videlicet, ut scientia sanctorum neutraliter dicatur, quae versetur circa objecta sancta, Deum sanctissimum & res sacras. Ubi quidem id extra omnem controversiam positum esse videtur, neu-

99) Ita explicat ψυχικὸν ἀνθρώπου FORMVLA CONCORDIAE p. 676. it. p. 579. 656 & 657 seq. Conferatur magnus Rostochienium Theologus, per insignia in Ecclesiam orthodoxam merita celebratissimus, Dn. D. JOH. FECHTIVS, quem praeceptorem nostrum venerari posse, inter maximas terrenae felicitatis partes numeramus, Tract. de vera verum l. notitia c. VIII, p. 90. seq. Addatur splendidissimum Academiae Altorffinae sidus Dn. D. CHRISTOPH. SONTAGIVS Disf. de Esychiis §. 1.

neutram sententiam ullius absurditatis argui posse, siquidem homines per gratiam Spiritus S. regenerati omnino sancti sunt cum sanctitate Christi imputativa, tum sanctitate in haec siva, licet in hac vita non perfecta & consummata, saltem imperfecta & inchoata. Unde etiam de regentis pluralem קדושים reperimus Psal. LXXIX, 6. 8. Dan. VIII, 24. Conf. quoque Apoc. XXII, 11. Idem vero vocabulum alibi de sacro sanctae Trinitatis personis usurpatur Jos. XXIV, 19. **איהם קדושים** דהוה: Nihilominus prudenti Lectori dijudicandum relinquimus, an **קדושים דער** h. l. vi contextus commode accipi queat de scientia Protoplastorum ante lapsum. Hos sane nomine קדושים prae mortalibus reliquis dignos fuisse, nemo facile negare audebit. Deus enim creavit hominem **ישר** rectum Eccles. VII, vers. ult. Eandem veritatem comprobatur dictum Paulinum Eph. IV, 24 ubi Apostolus injungit, ut peccator conversus & justificatus per vires *אבות* collatas induat novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Induere vero novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis, est renovari ad antiquam sanctitatem & justitiam, quam olim aliquando homo possedit, qui secundum Deum sive ad ejus imaginem erat conditus. Adeoque **קדושים דער** erit ipsa illa **כירת אדם** intelligentia Adami, quae Adamo & matri viventium Evae fuit, concreata. Neque in singulari **קדוש** mentionem injicit; sed in plurali **קדושים** inquit, ut insinuet, in versu praecedente vocem **אדם**, Evam à sapientia vi imaginis divinae Protoplastis concreata nequaquam excludere.

§. XII.

Hanc vero **קדושים דער** sive notitiam sanctorum an sibi AGVR h. l. denegat, utrum vero tribuat, in utramque partem a commentatoribus disceptatur. Omnis difficultas ad

ad ו תו רעו praefixum redit. JOH. PISCATOR communissimam ו תו significationem retinet, vocabulum ארע interrogative reddens: *Et scientiam sanctorum nossem?* Plurimis Interpretum placet per Zeugma particulam negativam ו תו ex antecedente hemistichio repetere, cujusmodi exempla Pf. IX, 19, L. 8. XLIV, 19. & alibi passim in sacris literis occurrunt. Hanc opinionem tuentur CHALDAEVS PARAPHRASTES, STRVS, RASCHI ABEN-ESRA, RALBAG, e Pontificiis CORNELIVS a LAPIDE, VULGATI vestigia pedepresso secutus, e Calvinianis BELGAE in versione sua, nec non CARTVVRIGHTVS l. c. e nostris B. LVTHERVVS aliique. Aliam tamen ingreditur viam B. GEIERVS ו reddens h. l. ut, quemadmodum Jon. I, 7. u. III, 9. Pf. XXIIV, 7. XXVIII, 1. LI, 9. 15. aliisque locis pluribus in hoc sensu occurrit. *Non didici sapientiam, (adeo) ut scientiam sanctorum sciam quasi diceret: Utut didicerim quid forsitan de sapientia, non tamen didici hanc ita, ut plenariam mihi pollicear notitiam sanctorum.* Verum enim vero, ut sicco pede transeam, quod contra primam & secundam opinionem urgeri jure merito posset, sine necessitate nec ו תו ו תו, nec ו תו interrogativum supplendum esse, sicubi alia adhuc sine supplemento ex omnibus emergendi difficultatibus superfit ratio. Praeterea omnes hae sententiae in medium allatae supponunt, AGVREM ו תו קרשים ו תו sibi ipsi denegare. At vero tantum abest, ut hanc sibi deneget, ut potius tribuat, Quamobrem adverbative acciperem ו תו ו תו praefixum redderemque: *tamen. Et (Licet) non didicerim sapientiam, (ex viribus meis naturalibus) tamen scientiam sanctorum cognoscam.* Quod ו תו ita accipi possit, loca sequentia evictum dabunt, scilicet Pf. XLIV, 18, rr) Esther. V, 10. ss) Ef. IX, 9,

rr) *Totum hoc evenit nobis, ו תו nec tamen oblitiscimur tui.*

ss) *Impletus est Haman contra Mordecajum aestu, ו תו continuit tamen se Haman, dum rediret domum suam.*

IX, 9. tt) Plura loca si desideres, adeas NOLDIUM. Quod autem ita etiam heic accipi debeat, constabit, si evictum dederimus, AGVREM scientiam sanctorum sibi h.l. vindicare. Hoc vero haud obscure ostendit tota hujus loci *עבודתה*, accuratiori iudicii lance examinata. Nam in versu quarto amplissimo rerum Divinarum plane arduarum \odot no se immittit, atque luculentissime demonstrat, se scientia sanctorum instructum esse. Nimirum quemadmodum notitia sanctorum in statu integritatis potissimum in salutari Dei trinunius cognitione consistebat, ita AGUR hanc sibi tribuit, quando de Deo Patre & Filio (Spiritu S. non excluso uu) ita differit: *Quis ascendit coelos & descendit? quis colligit ventum in pugillis suis? quis congregat aquas in vestimento suo? Quis stabilivit omnes terminos terrae? Quod est nomen hujus, & quod nomen filii ipsius? כִּי תִרַע Annoti?* xx) Ubi quidem verba ultima id indicare videntur, Agur non sibi, sed aliis potius notitiam Dei operumque Divinorum salutarem denegare: Alias enim non in secunda; sed in prima persona dixisset: *כִּי תִרַע utrum novi?* inprimis, quia in versu secundo & tertio in prima persona locutus fuerat. Nunc vero stylum non sine singulari emphasi mutat, & in secunda persona homines alios gratia Spiritus

D

San-

tt) Lateritia opera ceciderunt, אֲמַן attamen lapide caeco exstruemus, *סְמוֹנִי* attamen cedros sufficemus.

uu) Nam nominato Patre & filio, nominatur etiam Spiritus S. utpote ab utroque procedens, inquit B. CALOVIVS *Bibl. illustr.* ad h. l.

xx) Neque enim hic curamus nugas RASCHII, quando versum 4tum non de Deo; sed Mosé accipit, qui scilicet in coelos in monte Sinai ascendit, quique in Aegypto varia miracula patravit. Neque immoramur refellendis Socinianorum strophis, qui subiecti loco hic substituunt hominem quemvis. Quis unquam ex mortalibus ascendere potuit coelos & descendere &c. Quod est nomen hujus, & quodnam nomen filii hujus? Quorum omnium detorsiones si prolixè refutarem, Iliada post Homerum scriberem, cum non sine laudabili opera saxum hoc volverint B. GEIERS, & ab ipso laudatus B. MISLENTA Disputat. 1619. Giesae habita de *Confessione Aguris* s. 38. seq.

Sancti nondum illuminatos alloquitur. Utrum homo extra gratiam Spiritus S. constitute nosti haec omnia? Interrogatio haec valorem habet negandi. Quasi diceret: *Caro & sanguis haec tibi revelare non potest* Matth. XVI, 17. Mihi vero Pater coelestis hanc sanctorum notitiam revelavit, & quidem per verbum suum. Unde vers. 5. & 6. de principio verum Deum salutariter cognoscendi, ex quo hanc נְטַר
חַוְּרָה hauserat, verbo scilicet Divino elegantissime disferit; atque hoc tanquam certissimum, unicum & adaequatum Theologiae principium commendat, cui nulla alia, cuiuscunque demum generis sint, principia adjungenda, quando addit: *Totus sermo Dei purgatissimus est, scutum est recipientibus se ad ipsum. Ne adjucito ad verba ejus, ne corripiat te, & efficiaris mendax.* Ita demum existimo, quantum & sextum versum egregie cum antecedentibus cohaerere, Commentatoribus caeteroquin anxie de nexu eorundem laborantibus.

§. XIII.

Pauca adhuc dicenda restant de voce in versu tertio agmen claudente: עָרַח. Omnes, quos consului, Interpretes enallagen futuri pro praeterito magno hic admittunt consensu, reddentes: *novi*. Licet vero enallage haud raro in S. Scriptura locum inveniatur, nemo tamen, ut arbitror, tam emotae mentis erit, quin longe convenientius fore confiteatur, si absque enallage admissa res feliciter h. l. expediri queat. De quo vero mihi dubium non est. Equidem, ambabus largimur, significationem praeteriti hic includi, taciteque insinuari: quod in AGURE gratia Spiritus S. per verbum suum in ipso operantis collustrato, amissa illa Protoplastorum scientia salutaris restaurari jam sit coepta; unde etiam specimen ejusdem in sequentibus praebet. Nihilominus illa, quae futuro propria est, significatio hic non peccatis excludi; sed simul retineri poterit. Illuminationem enim

enim Divinam suos habere gradus Conf. Ephes. V, 14. γγ)
 & restaurationem imaginis Divinae, adeoque etiam מִגַּת
 קְרִיטָה in regenitis, non instantaneam; sed suc-
 cessivam esse actionem, apud omnes in confesso est. Pau-
 lus enim suos hortatur Ephesios, ut crescant in cognitione
 Eph. IV, 15. coll. 13. & 14. Hicce ex analogia doctrinae sanae
 suppositis vix ac ne vix quidem a veritatis tramite aberrabi-
 mus, Agurem vocabulo: אָרָה indicare velle:
 Spiritum S. cognitionem sanctorum, quam in ipso accendere
 coeperat, magis magisque perfecturum, & majora in dies in-
 crementa huius notitiae additurum esse, donec tandem par-
 tialis huius notitiae restauratio, & cognitio Sanctorum
 in hac vita consummetur. Sic enim ἐν μέγας γινώσκουσιν 1 Cor.
 XIII, 12. tota huius vitae aetate consummetur.

§. XI.

Atque adeo, si in compendium haec hactenus commemo-
 rata contrahamus, sequens huius loci integri versio satis
 perspicua exsurget: *Quis brutus, ego (secundum corru-
 ptas naturae meae vires consideratus, sim) prae Viro (καὶ
 ἐξ ὄχθῃ ita dicto, Viro omnium Virorum primo) neque sa-
 pientia Adami (quam in statu integritatis habuit) mihi sit,
 (connata) Neque didicim (viribus propriis) sapientiam, (coele-
 stem & spiritualem) tamen scientiam sanctorum (illam ipsam
 scientiam, qua sancti homines in statu integritatis Adamus
 & Eva praediti erant, per gratiam spiritus S. in verbo suo
 haec mysteria caelestia mihi pandentis cognovi, eamque
 magis magisque) cognoscam.*

D 2

§. XV.


γγ) Excitare qui dormis, & resurge e mortuis, καὶ ἐπιφύσει *superfundet te
 lumine Christus.* Vid. quae circa h. l. egregie monuit B. SAM. SCHEL-
 GVIGIVS, Theologus non tantum de patria mea; sed & de universa
 Ecclesia orthodoxa insigniter meritus. Praeceptor meus etiam post fata pie
 solendus *Synops. Contrövers.* Art. XVIII, quaest. 8. p. 151.

Porismata Theologica, quae ex duobus his versiculis haecenus explicatis erui possent, lubens alto praetereo silentio, ne falcem in alienam messem immittam. Hoc nisi obitaret, praecipua in loco de Imagine Dei occurrentia dogmata ex h. l. defendere, & contra quorumvis adversariorum strophas vindicare possemus. Caeterum quae nostra de isto vexato loco sit sententia, ex dictis constabit, de qua tamen benevolo lectori, nullis praepiudiciis fascinato, liberum iudicium concedimus. Si placuerit, nobis de labore non frustra suscepto gratulabimur, sin minus, illa nos sustentabit consolatio, quod idem cum multis aliis Viris doctissimis, (quorum tamen lateri nos nequaquam adiungimus, utpote tenuitatis nostrae optime conscii) humani scilicet quid passimus. Et tanto magis hac in parte nos consolabimur, quia errorem nostrum innoxium fore, utpote per quem analogia fidei non laedatur, certo confidimus.

T A N T V M !

Errata typographica.

Pag. 4. lin. 16. leg. vocabulum. not. a lin. 2. leg. Tr. III. p. 5. lin. 13. leg. proprii.
 p. 6. lin. 15. leg. quorum. p. 8. lin. 2. leg. nostrae. not. n lin. 1. pro a leg. &
 p. 9. lin. ult. pro: Pf LXXIV, 12. leg. Pf. LXXIII, 22. p. 14. lin. 24. leg. vexa-
 verat. p. 16. not. ff leg. P. I, c. VI.



de n
unb
ne
ju
a
n
a
a
D
S
e
u



94 A 734.6

ULB Halle

3


000 544 418




V077

III. 86.







31
32
DISSERTATIO ACADEMICA,
עָא

SAPIENTIAM ADAMI IN AGVRE AMISSAM ET RESTITVTAM

occasione loci
Prov. XXX, 2. 3.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

GVILIELMO HENRICO,
DUCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQVA,

BENEVOLO SVPERIORVM CONSENSV
PRAESIDE

M. CAROLO LVDOVICO *Hoheisel*
Gedan.

TVEBITVR
CHRISTIAN. GÜNTHER. BREHME, Northuf.
S. S. Theol. Stud.

Ad. d. APRIL. MDCCXVI.

3 E N E
TTPIS KREBSIANIS.